

ordinationem, quam, ubi opus et quotiens expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet; notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis, iuxta arbitrium suum exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet.

[3]. Ternarii vero, more vetusto circa quemlibet grossum solvendi, pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur.

[4]. Tabernatores vero singuli, cerevisiam coquentes, vel coctam a dominis tam spiritualibus, quam saecularibus ad propinandum recipientes, a quolibet vase mensurae civilis teneantur per unum grossum in manus exactorum solvere.

[5]. Item a medio vase vini, alias *pólkufek*, florenus sum triginta quadrantibus solvendus est^g.

[6]. Item a *dreling*, sive Seremiensi vase vini, duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi.

[7]. Item a quolibet barili malvatici vel vini Italici unus *ort* cum septem ternariis solvatur.

[8]. A barili vero simplicis vini^h duo grossi solvantur et duo ternarii.

[9]. A medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis.

[10]. A cerevisia ⁱadvectitia sive externaⁱ, a quolibet ^jvase eius^j duo grossi.

[11]. Et quicumque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malvaticum vel^k alium quemcunque potum ex praedictis ^lvendere et propinare^l in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud, in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet, et ad poenam regalem solvendam, quotiens id commiserit, obligatur; capitaneusque loci in tales omnes et singulos, fraudem huiusmodi committentes, animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habendo respectum ad quempiam, irremissibiliter exequatur.

[12]. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque et fideliter exigendam in exactorem constituimus generosum N.^m, vobis omnibus et singulis, quorum interest, mandantes, quatinus praefato exactori, sive ab eo substitutis, de ipsa exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles vel negligentes in solvendoⁿ erunt, et quos ipse exactor deferet, per pignorationes solitas ad solutionem^o huiusmodi exactionis compellatis sub poenis nostris, contra negligentes^p capitaneos in novis et antiquis statutis descriptis³. Et pro gratia nostra aliter non facturi.

Datum Wilnae, ^qferia tertia proxima post dominicam Palmarum^q, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo [15 IV 1522], regni nostri sexto decimo. ^rAd mandatum Regiae Maiestatis proprium^r.

V. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae primarum restium.

Sigismundus etc., rex Poloniae, universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris, terras regni nostri ubilibet incolentibus et praesertim terram N. et districtum N., de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam regiam. Magnifici et generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti!

^g Brak w G. Chęc.

^h Brak w MK₂.

ⁱ G. Chęc.: advectitia extranea.

^j G. Chęc.: eius vase.

^k G. Chęc.: et.

^l G. Chęc.: venderet et propinaret.

^m G. Chęc.: Stanislaum de Kazanow succamerarium Lublinensem et iudicem Sandomiriensem.

ⁿ G. Chęc.: solvendis.

^o G. Chęc.: solvendum.

^p G. Chęc.: negligentes.

^q G. Chęc.: feria quarta infra octavas Pascae, to jest 24 kwietnia 1522 r. Por. wyżej uwagi wstępne, przypis 10.

^r G. Chęc.: Ad mandatum etc.

³ Wspomniano tu konstytucję sejmu koronacyjnego z 1507 r., I, art. 12, oraz konstytucję sejmu piotrkowskiego z 1512 r.: Constitutio de officiis capitaneis incumbenibus diligenter exequendis.

Anno superiore, cum imperator Turcorum arces finitimas regni Hungariae intercepisset et iam conatum omnem suum in has regiones converterit, Thartarus etiam, vicinus et anniversarius hostis noster, vires suas in immensum auxerit, intelligentes nos, maximum discrimen imminere regno et dominiis nostris et nolentes quicquam officii nostri praetermittere, quo de venturis periculis et tuenda repu[bli]ca et omnium salute fuisset tempori et opportunis modis consultum et provisum, statuimus adhuc ipso autumnno conventus particulares etiam in districtibus¹, quo universa nobilitas et commodius de omnibus certior fieri et consulere in co[m]mune ac nuntios quod vellet ad generalem conventum mittere potuisset nihilque deesset, quominus tandem de statuendo ordine et modo aliquo certo et firmo reipublicae defendende consultum et statutum esset. Cum autem nescimus, qua infelicitate factum sit, ut morantibus nobis longo tempore in conventu generali et conantibus omni studio et labore ordinem aliquem et modum opportunum defensionis facere, sed et delatis iterum consultis, quae tunc in ipso conventu generali fieri pro tempore potuerunt, ad alios particulares conventus, nihil^a recte^b succedere potuerit, ipsaque defensio in modernis summis discriminibus in levissimis duntaxat praesidiis constituta sit, et nos per nuntios et exploratores nostros certo edocti sumus, Thartarum, a Thurco et Mosco magna mercede conductum, omni vi sua regnum nostrum adoriri velle et sese iam accingere, ipsum etiam Thurcum, occupata et in suam dicionem redacta terra transalpina et Vessarabum^c, gentes paratas circa ripas Danubii habere, quae in Moldauiam et regnum nostrum excutere et arces finitimas oppugnare deberent, ne imparati offendamur et respublica aliquem gravem casum et calamitatem incidat, has praesentes litteras in vim primarum restium emittendas duximus, quibus universis et singulis subditis nostris, communem bellicam expeditionem de iure et consuetudine usitata debentibus, mandamus, uti equos et arma pro sua quisque conditione et facultate parata habeat, ut ubi necessitas ingrueret; nosque aliis litteris illam declaraverimus et regnum ad arma moveremus, possit unusquisque vestrum tempori ad locum designatum et ita ut ad bellum decet venire et vim hostilem reprimere. Et ne quispiam vestrum de hac praeparatione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam suam praetendat, volumus, ut unus ad alium viciniorem praesentes litteras restium, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo repraesentet. Sub bonorum suorum amissione et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Wilnae dominica Conductus Paschae, anno Domini quingentesimo vigesimo secundo [27 IV 1522], regni nostri XVI. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

B. Litterae secundarum restium.

Sigismundus etc, universis et singulis^d. Magnifici, generosi etc., sincere nobis et fideles dilecti!

Superioribus diebus declaravimus vobis per primarum restium litteras, quae pericula et quanti casus immineant regno nostro ab infidelibus. Declaravimus item et unusquisque vestrum scire potest, quam debilibus praesidiis in conventibus praeteritis sit salus republicae provisae. Itaque cum indies magis per exploratores nostros de certo et magno adversum nos et regnum nostrum hostium apparatu edocemur, ne quis gravis casus regno accideret, qui postea incuriae vel negligentiae nostrae ascriberetur, ut in huiusmodi eventibus fieri solet, has litteras in vim secundarum restium emittendas duximus, quibus universis et singulis subditis nostris, bellicam expeditionem debentibus, mandamus: ut pro facultate quisque sua paratus sit cum omnibus rebus ad bellicam expeditionem necessariis, ut, cum per alias, quae ultimae erunt litterae restium, necessitatem incumbentem declaraverimus, possit unusquisque sine omni mora ad tempus et locum designatum venire. Et ne quispiam vestrum de hac praeparatione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam suam praetendat, volumus, ut unus ad alium sibi viciniorem praesentes litteras restium, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo

^a *Wrkps* nichil.

^b *Można też czytać*: recto.

^c *Sic. Idzie tu o Besarabię.*

^d *Pełna formuła brzmieć winna jak w poprzednich, pierwszych wiciach.*

¹ *Por. uwagi wstępne do konstytucji niniejszego sejmu, gdzie wspomniano o sejmikach powiatowych przed tymże sejmem.*

repraesentet, sub amissione bonorum et gratia nostra. Datum Wilnae feria sexta proxima ante dominicam Pentecostes, anno Domini M^oD^oXXII^o [6 VI 1522], regni nostri sexto decimo. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

C. Litterae ultimarum restium.

Sigismundus etc., universis et singulis palatinis etc. ceterisque subditis nostris terras regni nostri ubilibet incolentibus et praesertim terram N. et districtum N. de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam regiam. Magnifici et generosi nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti!

Facti sumus tandem certiores Thartaros omni vi contendere iam ad regnum nostrum vastandum et Thurcos ad Walachiam occupandam. Ne igitur respublica ita in tantis discriminibus leviter provisa in ruinam deducatur, nobisque ab aliquo culpa negligentiae impignatur, mandamus vobis omnibus et singulis bellicam expeditionem debentibus, ut iuxta constitutionem conventus Bidgostiensis primum conventionem facta² in districtu suo de die conveniendi seque movendi deque modo ac ordine et absque damnis hominum proficiscendi, quo suorum hominum profectio ab hostili differat, videlicet in N. pro die etc., ibique mutuo consilio de ordine proficiscendi habito et constituto cum suis castellanis quisque pro festo sancti Bartholomaei proxime [24 VIII 1522], circa villam Medica in terra Praemisliensi sit tam armatus instructus et contatus pro sua facultate constituatur ad regnum et patriam suam, ita ut quemque probum decet defendendam. Et ne quispiam vestrum de hoc suam ignorantiam praetendat, volumus, ut unus ad alium sibi viciniorem praesentes ultimarum restium litteras cum illas perlegerit, quam primum transmittat. Ultimus vero easdem loci capitaneo repraesentet, sub amissione bonorum suorum omnium, nemo aliter factururus. Datum Wilnae in vigilia sanctae Margarethae, anno Domini M^oD^oXXII^o [12 VII 1522], regni nostri sexto decimo. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

² *Mowa tu o konstytucjach sejmu bydgoskiego z 3 listopada – 7 grudnia 1520 r., I, art. 1: Motio generalis belli.*